



**DN. DVRANDI|| à Sancto Portiano, in Senten=||tias
Theologicas Petri Lombardi|| Commentariorum libri||
quatuor.||**

Durandus <de Sancto Porciano>

Antverpiæ, 1567

Quæstio prima. Vtrum primum peccatu[m] primi hominis fuerit superbia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72607)

mulier quia mulier in se, in proximum & in deum, vir autem in se & in deum tantum. Postea obiicit per auctoritatem Aug. qui ait parem esse virtusque falsum sicut patet in executione, ergo & pariter peccauerunt. Et respondet quod par fuit virtusque falsus in excusatione peccati, & in esu ligni vetitii. Sed dicendum est in muliere esse maiorem in eo quod creditur & voluit esse sicut Deus quod non vir, obiicit autem per auctoritatem Aug. vltimus quia etiam homo voluit esse sicut Deus. Et respondet quod quibusdam videtur quod Adam aliquo modo ambierit esse sicut Deus, non creditur tamen istud posse fieri cognoscens falsum esse quod diabolus promittebat, nec tanta ambitione exarsit sicut mulier exarsit. Aliis vero videtur quod sic dicitur illud Adam voluisse quia illud voluit mulier que de ipso sumpta fuit, ex quoque omnibus concludit quod minus peccauerat vir quam mulier. Postea obiicit contra dicta quia secundum istud, peccatum quandoque fit ex ignorantia, quandoque ex industria, etiam Eua videbatur ex ignorantia peccasse, Adam autem ex industria, ergo vir magis peccauit quam mulier. Et respondet quod mulier in hoc peccauit per ignorantiam quia verum esse putauit quod diabolus suadebat, non tamen in hoc quod non nouit illud esse mandatum dei, & ideo excusari a peccato per ignorantiam non potuit, quia omnis excusatio tollitur ubi mandatum non ignoratur, & peccatum est fecus agere ubi etiam distinguitur de ignorantia quoniam est quedam que excusatur, & est quedam ignorantia vincibilis, quedam non vincibilis. Est enim triplex ignorantia. Vna eorum qui scire nolunt & tamen possunt, haec autem non excusatur a peccato, sed ipsa est peccatum. Alia eorum qui volunt scire sed non possunt & haec excusatur, quia non est peccatum sed pena peccati. Tertia est illorum qui simpliciter nesciunt neque reuenientes neque proponentes scire, & haec aliquo modo (sed non plene) excusatur, quod auctoritate Aug. confirmatur. Postea quaeritur cum natura hominis esset sine vitio, unde processit consensus mali. Et respondet quod ex libere voluntatis quod homo fieret deterior fuit in diabolo qui suauis, & in homine qui consentit, & quantum libere arbitrio bonum ex eo tamen malus consensus emanauit. Vltimo quaeritur, vtrum voluntas illud peccatum praecessit. Respondet quod cum peccatum in voluntate, & in actu consistat, voluntas actum praecessit, sed ipsam malam voluntatem alia mala voluntas hominis non praecessit, & quod illa mala voluntas ex diaboli persuasione, & libero hominis arbitrio prodiit, & in hoc terminatur, &c.

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrum primum peccatum primi hominis fuerit superbia.

Thom. 1. q. 163. ar. 1.

Circa distinctionem istam primo quaeritur, vtrum primum peccatum primi hominis fuerit superbia. Et videtur quod non, quia primum vitium hominis opponitur primae virtuti. Sed prima virtus est fides que est fundamentum spiritualis edificii, ergo primum peccatum fuit infidelitatis.

2. Item Ro. 5. dicitur quod per vniuersum hominem inobedientiam peccatum intravit in mundum, ergo primum peccatum hominis fuit inobedientia.

3. IN CONTRARIUM est quod dicitur Eccl. 10. initium omnis peccati superbia. sed peccatum primorum parentum fuit peccatum in initium generi humano, ergo &c.

4. RESPONSIIO. Dicenda sunt duo. Primum est, quod in actu primorum parentum fuerunt realiter multa peccata. Primum tamen eorum fuit superbia. Primum patet, quia ubi cumque sunt plures deformitates, quarum vna non est per se determinatiua alterius, ibi sunt plura peccata, sed ita fuit in actu primorum parentum, ergo &c. Maior patet, quia licet bonum sit ex tota causa, malum tamen est ex partialibus defectibus. & ideo quot sunt defectus voluntarii, tot sunt peccata. nisi vnus sit alterius per se determinatiuus, ut si aliquis cognoscit non suam in loco sacro, ibi sunt duae deformitates & duo peccata: quia est ibi peccatum fornicationis, & violatio sacri loci, ex eo quod illarum duarum deformitatum vna non determinat alteram, unde vna potest separari ab altera, & conuerso. Minor similiter patet, quia in peccato primorum parentum fuit duplex deformitas, scilicet appetitus propriae excellentiae, in hoc quod dicit serpens, eritis sicut deus. Et ino-

bedientia praecipue disciplina, & transgressio in esu fructus ligni vetitii, & harum vna non est per se determinatiua alterius, ut de se patet, ergo &c.

5. Secundum patet, quia appetitus finis praecedit appetitum eorum que sunt propter finem, sed appetitus proprius excellentiae qui pertinet ad superbiam fuit finis propter quem incurserunt inobedientiam in esu ligni sicut haberi potest ex verbo tentationis cui consenserunt: scit enim Deus quod quocumque die ex eo comederitis, eritis sicut deus, ergo &c. Et istud est satis verisimile, ut sicut diabolus ceciderat per superbiam, sic tentaret principaliter hominem de superbia.

6. Ad primum argumentum dicendum quod illud quod est in compositione primum, est vltimum in resolutione. Et ideo debet sic argui, quod sicut fides est prima virtus, sic infidelitas est vltimum vitium: neque tamen hoc valeretur, quia non est connexio vel ordo in virtutibus, sicut est in virtutibus (ut alius dicitur, scilicet in 3. libro.) Et si esset ordo, non esset ordo temporis, de quo nunc loquimur, querendo quale fuerit primum peccatum hominis.

d. 16. q. 2. ar. 1.

7. Ad secundum dicendum quod inobedientia ut nominatur speciale peccatum est contemptus praecipue, & sic non intravit peccatum in mundum per inobedientiam vnius hominis. Alio modo nominatur conditionem generalem consequentem omnia peccata mortalia, inquam omne peccatum mortale habet annexam transgressionem praecipue. Et sic loquitur Apostolus.

QVÆSTIO SECUNDA.

Vtrum primus homo appetierit esse ut Deus.

Thom. 1. q. 163. ar. 2.

DEinde quaeritur circa eandem distinctionem, vtrum primus homo appetierit esse ut Deus. Dicendum primum quod sic. Secundo videndum est in quo appetierit esse ut Deus.

1. Primum patet, quia primi parentes illud appetierunt quod a tentatore fuit eis propositum, alias non peccassent ex alterius suggestione, sed illud fuit, Eritis sicut deus, Gen. 3. ergo &c. Item de hoc irriti sunt ibidem, Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est, ergo in hoc peccauerunt.

2. Circa secundum notandum quod esse ut Deus potest accipi dupliciter. Vno modo per aequalitatem, alio modo per quandam imitationem. Primum non cadit sub appetitu, nisi praecedente nimio errore. cum enim nulla creatura possit appetere non esse, gradus autem superior includat impossibilitatem gradus inferioris, nedum in Deo respectu creaturarum, sed in creatura vna respectu alterius, patet non solum esse impossibile intellectui non erant appetere aequalitatem dei, sed etiam creaturae inferiori appetere aequalitatem creature superioris, saltem in essentialibus, respectu autem Dei nulla aequalitas potest appeti nisi in essentialibus, cum omnia abstracta in eo transeant in essentiam. unde Aug. super Gen. Non arbitror vtrum si iam spirituali mente praeditus erat voluisse esse sicut Deus. Alia est similitudo imitationis, quae est duplex. Quaedam proportionata naturae ipsius appetentis, & hanc appetere non est malum, si appetatur eo modo & ordine quo appetenda est. Alia improporionata, quae excelsit ordinem & modum naturae appetentis, & hanc appetere semper est malum, potuit ergo primus homo appetere esse ut Deus per aliquam imitationem forte in scientia, ut fuerat a tentatore propositum, cuius sicut deus scientes bonum & malum. Et peccauit vel appetendo similitudinem sibi improporionatam vel proporionatam, sed absque debito modo & ordine.

QVÆSTIO TERTIA.

Vtrum ignorantia sit peccatum.

Thom. 1. 2. q. 76. ar. 2.

POSTea quaeritur vtrum ignorantia sit peccatum. Et videtur quod sic, quia quando actus non est malus, voluntas de illo non est mala: sed voluntas ignorandi ea que homo tenetur scire mala est, ergo & ipsa ignorantia est mala, sed non poena, ergo est culpa.

2. Item 1. Cor. 14. Si quis ignorat ignorabitur, id est, reprobabitur secundum glo. Sed nullus reprobabitur nisi propter peccatum, ergo &c.